



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Modestia & alacritas in Prouincialatu ponendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515



DE VITA ET REBUS
GESTIS P. PETRI CANISII
E SOCIETATE IESV,

LIBER TERTIVS.



*Modestia, & a
lacrimas in pro-
uincialatu po-
nendo.*

Crispit interim Borgia, vt prorsus in Paulum Hoffæum translata Prouincia totus se ipse ad scribendum conferret. At Patres, quoniam Hoffæus necessariis admodum causis putabatur æstatem agere Oeniponti debere, prohibebât abdicare se ante autumnum, vel certè priusquam de statu rerum edoctus Præpositus, de integro quid facto opus esset, nuntiaret. Sed ille Patrum quidè consilia scripsit in urbem, verùm nullo expectato responso ad exoptatam diu humilitatem euolans, Prouinciam in Hoffæum transtulit: gnarus hoc in genere præueniendos potius Rectorum nutus, quam lentè sequendos. Dedit ad singula Collegia literas modestiæ plenas, & paterna cohortatione. Quæ quales fuerint potest ex iis intelligi, quæ

Ingol-

Ingolstadiani Patres scripserunt his verbis. Visita-
uit nos etiam mense Maio P. Canisius, qui omni-
bus pietatis, obsequij, Caritatis dedit exempla.
Cunctos his literis, quas post discessum suum re-
misit, quibus se officio, quo annis quatuordecim
functus erat, abdicabat, atq; R. P. Paulum tuæ Re-
uerendæ Paternitatis voluntate, & mandato Præ-
positū Prouincialem declarauit, vehementer cō-
mouit. Scripsit & ad Præpositū Borgiā post actas
vti anno quoq; proximo fecerat, bonitati diuinæ
gratias, ac Præposito ipsi, quod tandem vacatio si-
bi, & successor is datus esset, quem meliorem quā
se, & sapientiozem, & aptiozem ei difficili Prouin-
ciæ pro dignitate administrandæ esset expertus:
postq; rogatam & veniam, & pœnam eorū, quæ
annis fere quatuordecim contra officij sui ratio-
nem admiserit, seu prætermiserit maiorē in mo-
dum petit, vt suis precibus nouam sibi mentem
impetret à Deo, vt ritè cognoscat, & æstimet di-
gne collatū in se in præsens beneficium, per quod
animum totum colligere, & quod misere hacte-
nus neglexit, aliqua ex parte compensare possit.
Addit dedisse se etiam literas ad nouū P. Prouin-
ciale, ac rogasse, vt de se libere statueret: libenter
1 enim

*Cura sui profe-
ctus.*

*Obedientia
humilis.*